

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

sus est cum illo. Si vitam cupis eternam: iusti Sapien. 9.  
 in perpetuum vivent. Si sanctam inebrietate:  
 inebriaberis ab ubertate Domus Dei. Si castam psal. 39.  
 voluptatem: torrente voluptatis sue potabit te ps. eod.  
 Dominus. O qui hoc bono fruitor, quid illi est,  
 et qui eo caret, quid illi non est? nempe Deum  
 habenti omne bonum est, et eo carenti non om-  
 ne bonum, sed omne malum est. Perdit igitur,  
 quod vivit qui se non diligit, O bone Deus! qui  
 tibi vivere recusat mortuus est; qui tibi non  
 sapit, desipit. Misericordissime tibi me commendo,  
 per quem sum, vivo et sapio, Te cupio diligo,  
 adoro. Ah ardeat in amore tui cor meum, requiescat  
 in te anima mea, O Deus meus et omnia.

S. Aug. Sol. c. 1.

Caput XI.  
 Aspiraciones ad Deum  
 ob eius presentiam.

Credo Domine te ubiq; presentem per essen-  
 tiam, per inspectionem, et per potentiam. Per  
 essentiam, quia Maiestas tua per se ipsam omni-  
 bus profus creaturis inest; plena est enim om-  
 nis terra gloria tua id est, maiestate tua. Isai. 6.  
 Per inspectionem vero ades omnibus, quia omnia  
 perspicis, omnia vides, nihilq; tam occultum, quod  
 oculos tuos fugiat, scrutans corda et renes Deo. psal. 7.  
 Deniq; per potentiam ubiq; es, quia cuncta  
 sustines, omnia gubernas universiq; rebus pres-

act. 17

219  
piciis. In te enim virimus, movemur et sumus.  
Quid igitur me impedit, quin me converta  
ad te Dominum meum adeo mihi presentem, et  
fruar te sumo bono meo. Ah te stringam, te  
complectar ulnis anime mea, o dilute votorum  
meorum; sentiam te exultatio summa intus  
et foris: possideam te beatitudo immensa:  
fruar te iugiter in medio cordis mei, o vita,  
per quam sum, vivo et moveor.

2. Ades igitur mihi, o dulcissime, desideratissime  
sine, amantissime Deus: ades mihi, nec un-  
quam recedis a me: ades mihi, ut me in cunc-  
tis adiuves, multiplicibus bonis, dices, ac de-  
sideria cordis mei impleas, dummodo cum fi-  
ducia me convertam ad te. Verè non est  
alia natio tam grandis, que Deum habeat  
sibi ubique presentem, sicut Deus noster adest  
nobis. O Domine Deus! quantam presentia  
tua in me augere debet reverentiam, fidu-  
ciam, letitiam, charitatem! reverentiam pro  
solatio, charitatem pro dilectione. Ah adoro  
te, laudo te, glorifico te, diligo te Deum  
creatorem meum mihi intime presentem.  
Utinam in omni loco et tempore coram  
te mente devota, et reverenti, corde lato et  
ardenti assistam, ac ulnis anime mea feli-  
citer te complectar.

3. Ecce amicus amici, aegrotus medici, sponsa  
sponsi, orphanus protectoris recreatus presentia

7 presentia, fidu-  
cia pro auxilio,  
letitiam pro

et ego non delectabor in Deo salutari meo,  
 amico meo, medico meo, qui nempe sanat om-  
 nes infirmitates meas, sponso meo, protectore  
 meae salutis aq[ue] fidelissimo, ac presentissimo.  
 O dulcissime Deus, o ut te semper habeam,  
 in corde, in ore et praecorulis. O ut assidue  
 in conspectu tuo cum magna letitia assistam.  
 scribe, obsecro, in tabula cordis mei sanctis-  
 simam tui memoriam, ut nihil carnale,  
 nihil indignum cogitem, sed te solum qua-  
 ram, et praesentiam tuam in intimis meis  
 semper sentiam. Effice, ut ego totus dul-  
 cedine sanctae praesentiae tuae plenus, totus  
 etiam flammae tui amoris succendat.

psal. 107.

## Caput XII

Continuatio earundem  
aspirationum.

O quam magna affici deberem letitia,  
 dum considero, mihi semper esse presente  
 Deum meum, Dominum meum, creatorem  
 meum, tanta maiestatis, ut coram eo contre-  
 miscant omnes potestates; tanta immensita-  
 tis, ut caelum et terra eum capere non sufficiat.  
 tanta pulchritudinis, ut in eum angeli prospicere  
 desiderent: tanta nobilitatis, excellentiae et  
 bonitatis, ut exsuperet omne sensum. Ecce  
 sanctus et talis Dominus semper mihi sua  
 exhibet praesentiam, ipse enim supra me,  
 infra me, circa me, intra me, atq[ue] in anima